



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestria duo**

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestre alterum -  
Cum Indicibus

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1674**

Cap. VI. Ad cap. II. x. de offic. Archipresbyteri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10241**

increbuit hujus vocis usus, ut viri docti, Julianus interpres Novellarum Justiniani, Paulus Diaconus, auctor historiae miscellae, aliique plures vocabula Graeca ἐκκλησιάζειν, σὺνάγειν, σύναξις, λειτουργία per dictionem missa exprimerent. Vide Casaub. dicto loc. Salmas. apparatus ad libros de primatu. p. 173.

## CAP. VI.

## Ad cap. II. x. de offic. Archipresbyteri.

## S U M M A R I A.

1. Sacerdotes cardinales qui?
2. Duareno absentitur.
3. Baluzii sententia probatur.
4. Capituli hujus integratio.
5. Fontes sacri baptismi.

**T**Ribuitur Leoni IX. in quibusdam veteribus libris. Sacerdotes cardinales hoc loco non urbis solùm Romæ, sed aliarum etiam civitatum primos significari notant ad hoc capitulum Gregoriani; Sed verbis Antonii Augustini ipsissimis. Equidem Duareno *lib. 1. c. 13. de sacris Ecclesiae ministeriis* hunc locum interpretatur de Presbyteris, qui in majori Ecclesia, quam cathedralem dicimus rem divinam simul cum Episcopo faciunt canonicis appellatis: Sed rectius Dn. Baluzius ad Agobardum exponit, Presbyteros, rectores Ecclesiarum parochialium, quos, ut à Presbyteris pagensibus & vicanis distinguat Presbyteros Cardinales vocat. Ex epistolâ Zachariæ VII. ad Pipinum: *Ut Ecclesiae constitutæ in urbe dicantur tituli cardinales.* Sic etiam Gregorius Magnus *lib. 2. Epist. 9.* Cæterum periodos, à Raymond omissas, ex A. Augustino restituere Gregoriani: Sed præposterè: Nos ex primâ compilatione ita reconcinamus: Post verba; *Domini nostri Jesu Christi, sequitur: Ita ut vicissim eos sibimet succurrere faciat, quatenus à sacrosancto &c.* Post verba; *Cui committitur, sequitur: Verens sententiam illius sapientissimi, ubi dicitur: Maledictus homo, qui negligenter facit opera Dei.* Post verbum; *torpeant, succedunt hæc: Sed reminiscantur, quod labia sacerdotum custodiant scientiam, & legem requirunt ex ore ejus q. a. d. ex. c.* Quid vero volunt sibi siglæ istæ? Nimirum: *Quia Angelus*

Sacerdotes  
cardinales  
qui?

Duareno  
absentitur.

Baluzii sen-  
tentia pro-  
batur.

Capituli  
hujus inte-  
gratio.

lus

Fontes sacri  
baptismi.

lus Domini exercituum est, ex Malachiâ cap. 2. Porro dicitur in capitulo, quod Archipresbyteri quoque est fontes benedicere. Quos fontes? baptismales. Ita enim baptisteria vocabant. Appellationis ratio, quod olim extra Ecclesias in fontibus & fluminibus baptizabant. Walafr. Strabo *de reb. Eccl. c. 26. sciendum primò in fluviiis & fontibus baptisatos credentes*, inquit. Inde baptisteria inventa, sed extra Ecclesiam quoque. Tandem intra Ecclesias parochiales receptus baptismus. Paulinus *Epist. XII. can. venit. 71. can. prima. 73. De consecr. distinct. 4.* Porro potest Archipresbyter infirmum oleo perungere, pœnitentem infirmum reconciliare, consulto scilicet Episcopo. Nempe pœnitentem occultorum peccatorum. *can. Presbyteri. 4. caus. 26. q. 6.* Publicos enim pœnitentes reconciliare solius est Episcopi. *can. Ministrare. can. Presbyter. 4. caus. 26. q. 6.* Publicos tamen pœnitentes presbyter præsentat Episcopo pro foribus Ecclesiæ. *Can. in capite. 64. dist. 50.*

## C A P. VII.

### Ad tit. XXV. de officio Primicerii.

#### S U M M A R I U M.

i. Primicerius quis & unde dicatur?

Primicerius  
quis & unde  
dicatur.

**P**rimicerius propriè est, qui in primâ cerâ heres scriptus. Quod à testamentis manavit, in tabulas ceratas referri solitis, in quibus prima cera & ima dicebatur. Præcipuum in testamento honorem & portionem habebant in primâ cerâ scripti heredes. Inde nomen primicerii, ait alicubi Salmasius. Aliter Onuphrius Panvinius, scilicet: *Primicerius à cereo fit (ut auctores sunt Divus Hieronymus & Cassiodorus in epistolis) quoniam & Græcè πρῶτος ἑστὶν* dicitur. Idem autem sonat, quod *primus ceterum.* Rectius in genere, primicerius est qui primus notatur in tabulâ ceratâ, id est albo vel laterculo munere aliquo fungentium, cujus nomen primo loco inter officia scriptum reperitur, qui primam & præcipuam cujusque conditionis dignitatem denotat, qui primus in quocunque ordine est. Suidas: *Πρῶτος ἑστὶν ὁ πρῶτος τῆς τάξεως τῆς τοῦ ἑκάστου.* In Republicâ erant Primicerii duplici